

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

045

043

049

039

054

034

094

144

Mamaluci multi.

Undecima die venerunt in curiam nostram Mamaluci, abnegati Christiani, de diversis linguis, quaerentes inter peregrinos compatriotas, inter quos erant multi Siculi, et de Arragonia, et de Catalonia. Venit inter eos tantum unus Teutonicus de Basilea, cuius consanguineos novi, sed et eum prius Basileae videram. Cum eo habui longam collocutionem de multis, et promisit, quod redire ad ecclesiam Christi vellet, quia male sensit de secta Machometi, sicut paene omnes Mamaluci male loquuntur de secta Machometi et redire se dicunt, ut patebit. De nulla autem gente Christiana tot Mamaluci erant in curia Soldani sicut de Ungaris, de quibus multi potentes et notabiles venerunt ad dominum Iohannem socium nostrum de Septem Castris, quos novit et cognitus fuit ab eis. Causa autem, quare tot de Ungaria sunt abnegati Christiani, haec est: quia Turcus Magnus Ungaros multos in bello capit, et quos non libenter occidit, mittit Soldano, quia secum Constantinopoli non manerent, sed naeta opportunitate redeundi in patriam remearent et fugerent, quod non possunt facere bene missi in Aegyptum. Inter Ungaros illos fuit unus potens et magnus in curia Soldani, vir longus, personatus, et sine dubio probus, quem dum Turcus capere vellet cum aliis quos ceperat, contra totum exercitum Turcorum se opposuit et hinc inde interficiens multos stravit, tandem autem captus pro monstro et gigante fuit Turco praesentatus. Turcus autem hortabatur eum negare Christi fidem et sumere circumcisionem, et multa sibi promisit, si hoc

Ende

Anfang

